



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1714

Q.88. An ista impedimenta criminis incurrantur ab ignorante illa esse tali
crimini annexa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42682

642. Q. 88. An ista impedimenta criminis incurrantur ab ignorante illa esse tali crimini annexa. R. Negant Palud. Bauc. & alii, quorum sententiam Krimer hic à n. 1011. & iterum l. 5. à n. 729. defendit tanquam absolute probabilem; rationem dant, quia tale impedimentum est proprie poena, sed poena non incurritur ab ignorante eam annexam esse, uti postea dicitur de censuris, ergo. Oppositum tenendum est cum planè communi, Sanch. l. 7. d. 17. n. 9. Hurt. Perez, Cón. Less. Dicast. Avers. q. 11. f. 2. Gob. tr. 9. n. 67. & 190. Spor. n. 233. Burgh. cent. 2. cas. 54. Laym. l. 1. tr. 5. p. 1. c. 5. n. 8. Wiestner De impedim. conjug. p. 2. a. 15. à n. 20. Wex p. 5. tr. 2. controv. 5. Ratio est, tale impedimentum, licet imponatur etiam in poenam delicti, tamen primariò & principaliter est inhabilitas canonica, qualis etiam est affinitas ex copula fornicaria, quæ certò incurritur etiam ab ignorante illam ex tali copula sequi, absentia autem aut remotio talis inhabilitatis est conditio absolute prærequisita ad valorem talis contractus, uti patet in impedimento consanguinitatis &c. 2. Praxis Ecclesiæ est optima legum interpres, sed notorium est, teste Corrad. in praxi dispens. l. 8. c. 9. n. 17. §. Quandoque, quòd Rei talis criminis nunquam permittantur contrahere sine dispensatione, ergo.

643. Q. 89. Quid addendum sit circa impedimentum disparis cultus. R. §. 1. Caj. Vasq. & alii putarunt Matrimonium fidelis cum infideli esse Jure naturali, vel saltem positivo Christi irritum, quia hoc ipso, quòd Christus Matrimonium exequit ad rationem Sacramenti, & infidelis non fit capax Sacramenti, etiam non erit capax Matrimonii. Sed præter citatos à Busenb. docent plurimi

E
2Th
Pcl
La
Tom

C